

05

A

199



DISPUTATIO

82

De

VIRTVTE
HEROICA,

Quam

DEO feliciter annuente

PRÆSIDE

VIRO

Clarissimo atque Præeximio

Dn. M. JOHANNES MICHAELE

Straußen / Colleg. Philosoph. Adjuncto meri-
tissimo, Præceptore, Fautore & Amico suo sum-
mopere colendo.

Publicæ, placidæ, disquisitioni
submitte

JOHANNES Scheffer / Dresdâ-Misn.

Autor & Respondens.

Ad diem XXI. Maji in Auditorio Minori,
horis matutinis.

VVITTEBERGÆ,

à Chalcographo JOHANNIS HAKEN,
M DC LIX.

82

Mons. Scheffer



V I R I S

*Nobilissimis, Magnifico, Consultissimis ac
Prudentissimis*

DN. VALENTINO Scheffern /
Sen. Reip. Dresdens. inclytæ Consuli gra-
vissimo, meritissimo.

DN. CHRISTIANO Reichbrode
à Schrenckendorff in Klingenberg & Pesterwitz
Toparchæ, Serenissimi Electoris Saxonix Con-
siliario, itemque ditionis Dippoldisval-
densis, Altenbürgensis & Toranten-
sis Præfesto summo.

DN. PHILIPPO Büttner /
Serenissimæ Viduæ Electorali à Secretis
& ararii Præfesto.



05 A 199

DN. CHRISTIANO Brehmen/
Sereniff. Saxon. Electoral. à ministerio
Secretiori ut & Reipubl. Dresd. Consuli
gravissimo.

DN. ANDREÆ Beckern /
Sereniff. Saxon. Elect. Quæstori Stolpen-
si meritissimo.

DN. CHRISTIANO Zschimmern/
Serenifs. Saxon. Elector. Quæstori in
Morigburgt dignissimo.

*Dominis Patronis , Parenti, Promotori-
bus ac Affinibus reverenter
colendis*

Salutem & Observantiam.

A 2

Non

Non dubito fore, PATRONI SUMMI, qui
hoc studij genus, cui per aliquod tēporis spa-
tium operam dedi, leve & alienum à regiā
Arte, ut Jurisprudentiam vocat Plato, existi-
ment, neq; dignum hocce exercitium judicent, ut
Magnorum Virorum nomina eodem Venerentur.
Ast horum diversa longè futura sententia, si cogni-
tum haberent, nullā aliam rem studia magis ju-
vare, quam si ordine ea pertractentur. Quem-
admodum enim qui in fastigium domus nititur, in-
gressus janua per gradus & tabulata ascendit ordi-
ne; Sic quoque, qui in edita illa, ut appellat Lu-
cretius, prudentia templa contendit, hunc scānsili
artium lege procedere oportet, atq; ab imo evadere
in summum. Quare nec pulcrum aliquid sine
ordine, nec fructuosum ac utile esse potest. Quae
cum ita comparata sint, nemo mihi vitio vertet,
quod antequam vastissimum Jurisprudentiae stu-
diū aggredior, operam aliquā his quoque disciplinis
impendā, quae quasi Janua ac gradus sunt, quibus
ad sanctissimum hujus Regiae Artis templum intro-
ire & ascendere valeamus. Ac ob eandem causam
hoc quaecumq; specimen Philosophicum edere ani-
mum induxi.

Cete-

Ceterum, quod VOBIS, PROMOTORES
honorandi, Exercitium hoc sacrum esse voluerim,
nemo sinistrè interpretabitur. Quippè Quibus post
DEUM, me & studia mea debeo. Ut ergò de-
bita gratitudinis monumentum publicè extaret,
Exercitium hoc Academicum VOBIS, PATRO-
NI, dicare ac dedicare debui. Maxime enim
ingratus videbar, siis, quorum subsidio in studiis
hactenus profeci, ne specimen quidem gratitudinis
exhiberem. Quare hoc quasi debitum munus
exsolvendum mihi fuit. Obnixè autem rogò, ut
serenà frònte accipere, & me meaq; studia quam-
maximè VOBIS commendata habere velitis. Va-
lete, MOECENATE Soptimi, in longos Nesto-
reosq; annos Reip. maximo certissimoq; bono.

Vestr. Nobilit. Magnif.
& Amplitud.

Observantissimus
Cultor

Johannes Scheffer.



*Non jam nascuntur, supero sed Nu-
mine dantur*

*Heroes, cælo quos pia fama
vehit.*

*Sed nec virtutum nascuntur se-
mina, verum,*

Talibus induntur cœlitus illa viris.

*Hæc tecum, SCHÆFFERE, diu meditatus, &
illa*

Præsenti chartâ non sine laude probas.

*Gratulor ergò tibi studii documenta, sed olim
Ingenio docto præmia digna feres.*

JOHANNES MEISNERUS D.
& Prof. Publ.

Ad

Præstantissimum Dn. Respondentem

JOHANNEM SCHEFFERUM.

Consilium SCHEFFERE tuum næ pollice utroque
Approbo, sollicitis quæ favens adgratulor orsis,

Qui

Qui prius ingenium studiis levioribus aptans
Exeres, animumque doces affluere parvis,
Quam majora petas. Sinuosa volumina juris
Verfabis felici operâ, dextroque capesses
Marte fori pugnas, Sophiæ cum in pulvere nervos;
Firmaſti, & doctis cor finxiſti artibus ante.
Maſte hoc propoſito, maſte ô! Sic nauta novellus
Flumineos amnes fragili tranare carinâ
Cum didicit, majora parat, Pontumque lacesſit,
Armataſq; ingens animi frenare biremos
Auder, & Jonii fluctus ſulcare profundi.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

Ad Pereximium & Politisſimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum & Fautorem honorandum.

Artes corde prius *Sophiæ*, perdiscere claras
Ac poſtliæ *Themidos* caltra ſubire piæ,
Refert permultum, ſic amplum culmen honoris
Supremi facile tangere quique poteſt.
Recto progredereſ curſu Doctiſſime *SCHEFFER*
verbis dum ſophiæ nunc animas Cathedram,
Gratulor, in cœpto perſta, ac hunc conſice curſum,
Et verè tactum culmen honoris erit!

M. Joh. Michaël Strauß

Facult. Philoſoph. Adjunctus.



Capitulum in seculum...
 Factores...
 Quam...
 V...
 Mart...
 Plur...
 M...
 P...
 A...
 V...

ALBERTUS BUCHNERUS

IN RE SPONDENTIA

A...
 A...
 A...
 A...
 A...

A...
 A...





Præloquium.

Fese virtutem quandam, quam Heroicam vocant, extrema, ejus Feritas & Summa Ignavia satis ostendunt; quod & experientia, quæ in moribus & actionibus humanis ratio probandi efficacissima est, confirmat. In scenam prodeat *Lycaon*, qui feritatis ac crudelitatis insigne specimen edidit; quippe hospites mactabat, obsides trucidabat, eosq; semivivos partim fervidâ aquâ coctos, partim igne assatos, mēsis hospitū apponebat. Ignavi- am suam prodidisse *Thersitem* legimus, qui Græcos hortabatur, ut re infectâ cum navi- bus domum redirent; quem propterea *Ulyf- ses* graviter objurgat: (gibus:

Desine, neq; velis solus contendere cum Re-

Non enim Ego, quàm tu sis, censeo ignavio- rem Mortalium alium

esse, qui cum Atreidis ad Trojam venerunt.

A

Acce-

Accedit Lacedæmoniorum testimonium his
verbis: *Quoniam verò rarum est, ut vir divi-
nus sit, quemadmodum Lacones nuncupare
solent, cum aliquem valdè admirantur, Divi-
nus, inquit, Vir est: (& nos hodiè, divinū
habet ingenium, & divinos sive divos dici-
mus Viros præclarâ eruditione præditos.) Ita
& Ferinus inter homines rarò invenitur,
maximè tamen inter barbaros est.* Neq; pro-
ptereà Hesiodi sententiæ subscribimus, qui
contendit, Heroas omnes uno duntaxat se-
culo, quod aureum vocat, vixisse; quod mi-
nimè veritati videtur consentaneum, siqui-
dem quovis tempore DE us ter Opt. Max.
quosdam Heroas, tanquam lumina excita-
vit, per quos vel Ecclesiam suam gubernavit,
vel artes in lucem protulit aut restituit, vel
Imperia ordinavit. Neq; verò putandum,
si interdum nobis nulli sint Heroes, ubiq; lo-
corum nullos reperiri. Ut enim Virtus Com-
munis, ita & Heroica per totum Orbem ter-
rarum diffunditur. Quæ cum ita compara-
ta sint, operam perdere haud existimo, dum
ad

ad hujus nobilissimæ Virtutis naturæ investi-
gationem animum applico, & ingenii vires
exerior, adeoq; sine verborum ambagibus,
rem aggredior. DELIM veneror ut cœptum
hocce secundet.

THESIS

1.

UT autem rem ab ovo, quod ajunt, exordiar, undè
Heroicæ nomine veniat hæc Virtus, non inter omnes
convenit. Et cum latinis sit ἀνάρη, annotante Giphano in
Comment. c. 1 l. 7. Erb., hinc varias derivationes ex Græcis pe-
tunt Auctores. Quidam enim volunt τὸ τῆς ἕρας à terra, &
non ita, quasi Heroës sint Diæ terrestres, quippe ex congressu
Deorum Hominibus fingunt Heroes natis. Aliis placet τὸ
τῆς ἀρετῆς à Virtute: quod nimis procul petatum videtur. Vel
quoque τὸ τῆς ἀρετῆς ἀειδαί, ab eligendo, ut notaret selectos &
præstantes Viros. Hinc Virgil. Eclog. 4. Heroas delectos vo-
cat. Tandem derivant à voce ἀίεω, vel quod olim Heroum
animæ creditæ sunt, non ad Inferos tendere, sed cum Dz-
monibus manere in aëre, ibique res humanas contemplari;
Vel quòd naturam aeream ipsis & impetus, sicut ventis, tri-
buebant. Plato in Cratylo τὸ τῆς ἕρας, h. e. dicere, derivat.
Quicquid tamen sit, plurimi in eo conveniunt, quod τὸ τῆς
ἕρας h. e. à vehementi & ardenti Virtutis ac Veritatis amo-
re, dicatur. Per illum enim amorem Homo Deo quasi similis
redditur, quatenus scilicet præclaras & generosas actiones,
quæ communem Hominis conditionem & fragilitatem exce-
dunt, edit. Indè videntur primi vocis Herois Inventores
respexisse ad Amorem & desiderium flagrantissimum honesti,
& divinæ conditionis, quo Homines alios antecellunt. Plures

A 2

ratio-

rationes; cur ab hoc vocabulo Græco ortum suum trahat, vide ap. B. Dn. D. Martin, lib. 2. c. 24. p. 526. & Heider. in Phil. Metaph. part. 2. p. 401.

2. Dicitur à quibusdam κατ' ἐξοχήν Virtus, itemq; Affectio divina, non quidem, quòd Ipsius Dei sit, qui solus absolutè perfectione gaudet, & Autor hujus virtutis est, sed quia reddit homines Deo quoquo modo similes. Etenim quie sunt præditi, magis ad Dei similitudinem ascendere, quàm ad humanam infirmitatem descendere videntur. Philosophus lib. 7. Eth. c. 5. vocat τρυφώτερον τῆς ἀρετῆς, præstantius quid virtute.

3. Cæterum hæc Virtus in Theologicâ acceptione tribuitur iis, qui splendore Theologicarum Virtutù, à Spiritu Sanctæ accensarum, communem hominis conditionem superant, quâ præditi fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, ac nonnulli pii Reges. Sic legimus in S. Codice, de Castitate *Josephi*, Fortitudine *Josue*, *Davidis*, *Samsonis*, patientiâ *Jobi*, Sapientia *Salomonis*, Temperantiâ *Elie* & *Johannis Baptistæ*, &c. Huc referunt eos, qui in verâ Dei dilectione, spe, fide, patientiâ, charitate firmiter perseverant, & nullo modo se dimoveri patiuntur: itemque, qui in spirituali pugnâ cum Diabolo ejusque mancipiis, animam petentibus, pugnant, & hostes suos strenuè superant; ad quorum catalogum referunt *Frates Maccæbeos*, *Stephanum* aliosque Martyres, qui pro veritate doctrinæ JESU CHRISTI tot cruciatus & tormenta exantlarunt, immò sanguine suo veritatem cœlestem obsignarunt. Sed hæc acceptio propriè non est hujus loci: Porro minus propriè accipitur, dum ignobilioribus ascribitur, uti apud *Homer. Odys. 6. Confer. Piccolom. grad. 6. c. 4. Abusivè*, virtus etiam medicris ab adulatoribus, & Tyrannorum quoque vitia & flagitia, motus & impetus Heroici vocantur. In sensu autem Philosophico attribuitur primo Illis, qui vel in aliqua arte excellerunt, vel in genus humanum insigne aliquod beneficium collocarunt; cujus generis fuerunt *Plato*, *Aristoteles*, *Aesculapius*, *Euclides*, alique. Et dicitur aliàs Intellectualis, sive Splendor intellectualium virtutum. Deindè qui virtutum

Mora

Moralium Eminentia ac Splendore alios ante irent. Ita strenui militum Duces, *Agamemnon, Achilles, Hector, Æneas, Alexander M.* similesque aliis virtutibus excellenter præditi Herois nomine celebrati sunt. Et talis maximè est hujus loci, notans Virtutum Ethicarum perfectarum, & minus perfectarum Excellentiam. Unde tot Virtutis Heroicæ Species constituuntur, quot sunt species virtutum Communium.

4. Est autem Virtus Heroica *Habitus animi, divinitus concessus ad Ejusmodi actiones perficiendas, que aliàs à solis humanis viribus præstari non possunt.* Dicitur *Habitus*, quia requiritur ad acquirendam hanc virtutem bona natura, generosa Indoles, felix institutio & doctrina eminentior de summis rebus, itemque frequens Exercitium, adeoque consistit in admirabili impetu & facultatibus magnas efficiendi, in summam constantiam istius propositi, & tandem in successu & felicitate incredibili; quod *Achilles, maximus Heros, in Iphigenia Euripidis* de se Ipso fatetur his verbis:

Εγὼ δ' ὃν ἀνδρῶς εὐσεβесаτά τε τραφεῖς
 Χείρων ἔμαθον τὰς τρόπας ἀπλῆς ἔχειν.

H. c. Ego in viri optime educatus, *Chironis (Domo) didici mores simplices habere.* Confer. *Aristoteles lib. 7. Eth. Nicom. c. 1.* Ille ipse verò *Habitus* propter singularem afflatum divinum in actionibus suis præ communi virtute quam maximè effulget. Unde patet, quòd non sit definienda per perturbatorium evulsionem, ut *Eustratinus in libr. 2. c. 3. Eth. ad Nicom.* existimat; quem refutat *Piccolom. Philos. Morab. grad. 6. c. 7.* Nam potius eminentiam dicit in Affectibus regendis, non auferendis adeoque istos minimè extirpat, sive eradicat, verum cuprimis roborat imbecillitates humanas atque perficit. Immo ne Virtus quidem erat futura, si omnes affectus extingueret.

5. Videtur autem nonnullis, cum Virtus Heroica sit planè singularis quædam vis atque impetus, divinitus immis-

flus impellens ad agendum ea, quæ naturam & vires Homi-
 num superant atque excedunt. Undè virtus Heroica magis
divina, quàm humana censetur, eam virtutem à nobis acquiri
 non posse. Verum enim verò, sine vi & concursu naturæ nec
 Heroicam virtutem in Homine existere, vel inde patet, quia
 & Heroica virtus in Habitu acquisito consistit, ac in Eò fun-
 datur, uti paragrafo antecedenti diximus. Idcirco actio-
 nibus crebris & iteratis à bonis & eximjâ naturâ præditis
 comparatur. Ad has verò omninò requiritur vis & concur-
 sus naturæ, siye causarum naturalium Efficientiæ. Proinde
 de hoc loco benè notandum, in Virtute Heroica & Deum &
 naturam concurrere. Deum quidem, ut Conditorem juxta
 ac supremum agentem. Hinc definitur, non humanâ indu-
 striâ comparatus Habitus, sed divinitus quibusdam concessio.
 Naturam verò, ut causam secundam, quæ sine prima nihil a-
 git. Neque protinus omnem disciplinam & assuefactionem
 exinde tollimus, sed statuimus, tunc verè Heroicam Virtutem
 existere, si ad disciplinam Virtutis Moralis accedat afflatus
 divinus, qui illam augeat & adjuvet. Quippè per specialem
 Dei influxum atque singularem impetum divinum indoles
 præstans excitatur, quæ summa quæq; sibi proponit. Hinc Il-
 lo Ipso ductu oriuntur opportunitates, successus ac felicita-
 tes, quæ aliis absque hoc non ita contingunt. Nemo enim
 vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam extitit, ut *Cice-
 ro* testatur *lib. 2. de naturâ Deorum.* Hinc factum, ut He-
 roës ortum suum à Diis trahere fingantur. Vid. *Piccolom-
 grad. 6. c. 2. Augustinus lib. 10. de Civit. Dei. c. 21. Jamblichus in
 lib. de Mysteriis Aegyptiorum sect. 2.*

6. Quare hæc prima causa non excludit, sed includit
 potius secundam, quæ propter subordinata audit, & dicitur
 vel *Interna*, ad quam refertur naturæ bonitas, recta educatio
 & institutio, inexplebile desiderium, quo plerumque Heroes
 ducuntur: Vel *Externa*, quò referuntur subsidia virtutum,
 ut constantia laboris in perficiendo opere, quo ardua atque
 maxima magno animò suscipiantur, egregiaque alacritate

ge-

gerantur ac perficiantur. *Remotam* causam dicunt, quæ partim ex solo animo pendet, ut est Intellectus Practicus & Voluntas, partim ex Corpore, ut est *in Quæ* h. e. singulare temperamentum seu dispositio Corporis.

7. Objectum Virtus nostra duplex agnoscit, *Internum* & *Externum*. *Illud* sunt Affectus amore honesti eminentissimè purgati & cum mente confirmati. Virtus enim Heroica affectus non extirpat, uti jam ante diximus. Sic enim Virtus planè non esset, si tolleretur Affectus, sed tantum illos eminenter regit ac gubernat. Sic Scipio Africanus Juvenis & Victor in Hispaniâ tam eminenter appetitum suum concupiscibilem affectusque in eo domuerat, ut cum eximie formæ puellam illustri loco natam, & cuidam Principi illius Gentis desponsatam cepisset, Parentibus & Sponso inviolatam restitueret, & aurum pro illa redimendâ allatum dotis loco adderet, teste *Kal. Max. lib. IV. c. 4.* Alexander M. à captis Coniuge & Filiabus Darii abstinuit. Vid. *Currius lib. 7.* Et Scipionis Castitas satis quoque nota est. *Externum* objectum sunt primò res dubiæ, quas sine errore, admirabili alacritate & constantia; deindè difficiles & arduæ, quas sine defatigatione, incredibili felicitate; Tandem ancipites & periculose, quas sine offensione, lubenti animo suscipit. Et ut verbo dicam, est *omne reliquarum Virtutum Objectum, sed excellentius & majus*, Sic Scopulos duos Charybdim & Scyllam in Mari Siculo sine errore pernavigare reserat dubia; quod tamen *Ulysses* summâ alacritate & constantiâ præstabat. Res omninò difficilis & ardua erat, tot monstra domare, & inter illam Hydram Lernæam penitus trucidare; quod *Hercules* indefesso labore & incredibili felicitate peregit.

8. Hæc circa Virtutis Heroicæ Objectû observanda sunt, in quibus suscipiendis & peragendis *Eminentè* servat *mediocritatè*. *Mediocritatè* quidè observat ratione virtutis moralis communis. Cû n. omnis virtutis moralis forma sit mediocritas, quâ talis, etiâ Heroicæ, quæ cômune essentialiter includit, formâ erit, prout scilicet est Virtus *Eminentem*, verò mediocritatem complectitur ratione perfectionis, ut est Heroica, & cæteris

vir-

virtutibus longè præstat. Idcirco Virtus Heroica juxta respectivam considerationem servat Mediocritatem, sed modo Heroico supra communem hominis conditionem posito, sicut decet Heroem.

9. Undè patet, quod non differat Objecto aut Specie à cæteris Virtutibus Heroica, uti volunt *Thomas in primâ secundæ quæst. 54. Art. 3. Clemens Timplerus, pars. 1. Philos. Præct. lib. 3. c. 2. quæst. 1 p. 377. 378. Et alii.* Quippe gradu tantum discrepant, quod graduale discrimen est *tum ratione Efficientis primariæ*, quæ est singularis afflatus divinus, & *Secundariæ*, quæ dicitur Indoles generosa, labor & institutio Excellens, itemque *Exercitatio sedula & indefessa*, quæ in tam Excellenti gradu in communi Virtute non dantur; *Tum ratione Subjecti*, cui hæc Virtus competit, quod sint paucissimi Homines. ita. ut Historici tradant, post *Epaminondam* Thebanorum Ducem Thebanos nullum tantum nactos esse Heroem; Communis autem Virtutis plurimi dantur, ut sunt omnes boni Viri; *tum ratione Adjunctorum.* Etenim Virtus Heroica dexterimum Judicium, itemque vehementes animorum impetus & admirabilem constantiam requirit, communis verò sæpè cum quadam Judicii imbecillitate impetuumque langvore & constantiæ fastidio exercetur; *tum quoque ratione Eventus* successuumque. Virtus Heroica facile sine impedimentis difficultia perumpit susceptaque feliciter ad exitum perducit; communis autem sæpè propter impedimenta res cœptas absolvere nequit.

10. Cæterum in aperto positum est, quod & definitione communi quâdam conveniant, quia Virtuti Heroicæ in genere competit definitio Virtutis Generalis ab *Aristotele lib. 2. Eth. Nicom. c. 6. Et lib. 1. Magnor. Mor. c. 4.* tradita. Est enim Hæbitus Electivus, in mediocritate quoad nos consistens, rationeque definitus, prout Vir prudens Eam definirèt. Et præterea per inductionem singularium Virtutum specialium ostendi potest, diversitatem specificam locum hic non obtinere. Nam Heroica Fortitudo est Virtus mediocritatem

ser-

servant circa metum & fiduciam : Heroica Temperantia est
Virtus mediocritatem servans circa voluptates & dolores, &
sic in reliquis. Eadem enim est ratio ceterarum Virtutum,
quarum splendor & eminentia est Virtus Heroica. Non qui-
dem dissimulamus, utramque Virtutem tam Heroicam, quam
Communem ad bonum Civile referri, sed in eò tamen discre-
pantia posita est, quod Virtus Heroica exactius, firmitus, &
splendidus finem attingat, ut loquitur *Piccolomineus grad. VI.*
Phil. Moral. c. 5. Ideoq; Heroica perfectione, eminentiã atque
splendore communem Virtutem superat, quæ imperfecior, i-
gnobilior atque obscurior æstimatur. v. g. Fortitudo eadem
quoad speciem fuit in *Alexandro M. & Pompejo*, verum in *Illo*
in gradu excellentiori, in *hòc* in gradu remissiori.

ii. Nec licet ita argumentari: Opposita Virtutis Mo-
ralis & Heroicæ inter se specie differunt. Ergo etiam *Virtus*
Heroica & *Moralis* specie distinguntur. Minorem probant,
quia *vitium Morale* pervertit saltem rationis usum: *Feritas* au-
tem eundem prorsus tollit, quomodo igitur se habet Homo
ad feram, ita etiam se habet *Vitium Morale* ad *Feritatem*: At
Homo specie differt à Ferã. E. Sed major hujus Argumenti o-
mnino vacillat. Etenim non eadem per omnia est ratio Vi-
tiorum & Virtutum. Vicia enim, quia infinita sunt, longius
à se invicem distant, quam Virtutes, quæ finita, ut asserit *Phi-*
losophus l. br. I. Eth. Hinc quoque fit, ut una specie Virtus di-
versis specie vitiis opponatur; non secus ac unica sanitas op-
ponitur pluribus morbis specie inter se differentibus; qui ta-
men omnes in eo conveniunt, quòd legitimam & debitam
humani corporis constitutionem corrumpant. Proinde à
specificã differentiã vitiorum ad earundem virtutum specifi-
cam differentiam malè concluditur. Minor etiam non fir-
mo stat talo. Nam *Feritas* à *Vitio Morali* nequaquam differt
specie, sed saltem gradu, vel secundum magis & minus. O-
mnis enim Excessus cum Virtute Heroica pugnans est alicu-
jus gradus excessus in Virtute Morali aliqua. Quemadmo-
dum defectus in Virtute Heroica est alicujus gradus defectus

B

in

in Virtute quadam Morali; quod ex inductione omnium Vir-
tutum & Vitiolorum manifestum foret. Quare patet, Extre-
ma Virtutum Moralium ab Extremis Heroicæ non distingui
specificè, sed quod Excessus Virtutum Moralium à Feritate,
& defectus earundem à summâ Igavia, tanquam Oppositis,
Heroicæ gradualiter saltem differant. Est quamvis Feritas &
Vitium Morale in eò dissentire videantur, quod illa usum ra-
tionis tollat, Hæc pervertat solum: Quatenus tamen Virtuti &
Heroicæ & Morali opponuntur, ambo consentiunt in eo, quod
à distamine rectæ rationis discedant, licet inæqualiter, vide-
licet secundum magis & minus. Non igitur Vitium Morale
ratione Excessus ita ad Feritatem se habet, sicut Homo ad Fe-
ram. Magnam etenim diversitatem hæc dari quilibet videt.
Nam Feritas hominibus quibusdam tribuitur, non ideo,
quod ratione quoad actum tam primum quam secundum
prorsus careant, sed quod contra rectam rationem tam enor-
miter peccent, ut omnem humanitatem exuissent, contra vero
feram naturam induisse, immò eas immanitate superasse vide-
antur, dum ea perpetrant, que cum ratione prorsus non con-
veniunt. Conf. B. D. Martini l. 2. c. 24. Synops. Eth. p. 532. Heider.
Phil. Moral. part. 2. p. 409. quest. 1. Burger s. d. i. c. in Ideâ Phil. Moral.
c. 23. n. 22; p. 250. D. Hornejus Phil. Moral. lib. 4. c. 5. p. 648.

12. Forma consistit in actionibus Heroicis, quatenus
sunt supra hominis conditionem. Undè magnâ cum admi-
ratione suscipiuntur, ita quidem, ut etiam in adversis rebus,
quibus plurimi aliàs succumbunt, Heros ac Virtus Eius emi-
neant. Exemplo nobis esse potest Fabricius apud Roma-
nos, qui multis modis ab adversario Pyrrho tentatus constan-
ti & intrepido animo omnia sustinuit. Nam cum aliquan-
do Romanorum apud Pyrrhum causam ageret, qui dicenti sententi-
am subito Elephantum conspiciendum præbuit, ut ipsum consterna-
ret. Sed nihil inde consternatus Fabricius, sermonem con-
stanti animo ad finem perduxit. Paulò post oblato auro I-
psum demulcere cœpit, sed neque hic animum mutavit, ita
quidem, ut adversarius fateri conatus sit: Ille est Fabricius, qui
diffi-

Difficilius ab Honestate, quam Sol à cursu suo dimoveri potest. Sic quoque celebre est factum *Titi Manlii*. Nam cum Galli Italiam occuparent, & prope Romam castra haberent, Gallus quidam eximia corporis magnitudine, versicolori veste, armisque auro resurgentibus indutus, aliquem ex Romanis ad Monomachiam provocavit. Processit *Titus Manlius*, minor quidem staturâ, sed simplicitatem Civilem præ se ferens. Spectator certaminis uterq; erat exercitus. Ast in conflictu *Manlius* Gallum interfecit, nec quicquam ab eo retraxit, nisi torquem, quem cruore respersum collo suo circumdedit. [unde & Torquati nomen indidit] hinc Galli fugam adornarunt. Videatur *Livius lib. 7. decada. 2. Finem* quod concernit, quamvis nullum dubium sit, ut quemadmodum reliquæ virtutes ad Summum tendunt. Bonum, ita hæc nostra, & quidem perfectiori ac præstantiori modo ac medio: *Specialis* tamen communiter dicitur, quod magis ad DEUM accedere faciat hæc Virtus. Vid. *Piccolom. grad. 6. c. 15, B. Dn. D. Martini. Synopsis. Eth. l. 2. c. 23. p. 532.*

13. Dividitur aliàs Virtus Heroica in *Intellectualem* & *Moralem*. Quæ ipsa divisio analogica est. Nam Intellectuali Virtute excellentiore qui præditi sunt, non nisi secundum analogiam Heroes dici possunt. Interim non negandum, quod *Intellectualium* quoque Virtutum splendor sit *Heroica*; quod negatur à *Piccolomineo grad. 6. Phil. Moral. c. 4. p. 535.* Etenim si nimia ruditas & ignorantia Virtutum Intellectualium dicitur *Feritas*, utique vi oppositorum earundem excellentia erit Virtus Heroica, quia Homines ita comparati naturam suam exuere, & in bruta quasi degenerare solent, si mentem Habitibus Intellectualibus non perficiant. Quamvis non negemus, Eminentiam Virtutis Heroicæ magis conspicuam esse in Moralibus quàm Intellectualibus Virtutibus, cum major sit splendor *illarum*, quàm *harum*. *Illæ* enim ob actionem concomitantem in sensus & admirationem omnium incurunt; hæc verò quia intra Subiectum, cui insunt, plerumque manent, à nemine facile conspiciuntur: nihil tamen probi-

bet, quo minus excellentiam Habituum Intellectualium etiam Virtutem Heroicam nuntupemus.

14. Opponuntur denique Virtuti Heroicæ duo *Extrema*, quæ si distinctis vocabulis sunt exprimenda, alterum in Excessu *Feritas*, alterum in defectu *Summa Ignavia* appellatur. Sunt, qui utraqve Extrema, uno Feritatis nomine venire existiant, nec sine ratione, cum Illi quoque Feris similes æstimentur, qui ad omnem honestatis sensum obstupesciti sunt, licet Feritas Excessum plerumq; frequentiore soleat significare. *Feritas* autem non propterea dicitur, quia Feræ est, cum in has neque Virtutes neque vitia cadant, sed quia reddit quoquo modo Homines magis similes feris, quam alia vitia communia. Etenim quemadmodum per legitimum intellectus usum ac perfectionem ad similitudinem Angelorum, vel DEI, accedunt Mortales: Ita per Appetitus abusum ferarum instar sævire solent, & ratione obruta & velut extincta rectè assimilantur belluis.

15. Cæterum per *Feritatem* hic non tam intelligimus eam, quæ ex morbo, aut ex depravatis humoribus oritur, qualis est in phreneticis, furiosis & Melancholicis: neque illam, quæ ab Educatione est, aut ab assuefactione: neque illam, quæ in integris populis residet, qui instar bestiarum in sylvis oberrant nudi, ut *Americanis*, sive etiam, qui civili societate relicta soli degentes, vel pilos sibi ipsis evellunt, vel ungues erodunt, adeoque in suum corpus vehementer sæviunt: Sed quam maximè sermo nobis est de Illa, quæ oritur ex vitiositate, ac depravata Hominum natura ita ut nihil aliud noeret, quam habitum horrenda qualibet & cum naturâ humanâ pugnantia patrandi, & quidem non ex infirmitate vel imbecillitate, sed ex solâ libidine peccandi, quemadmodum Philosophus VII. Eth. c. 5. intendit: *Voco ferinos*, inquit, *Habitus*, *quales erant illius Mulieris, quam dicunt gravidis apertis esse dissectis pueros devorare solitam: aut qualibus efferatos quosdam populos circa Pontum delectari ferunt, alios scilicet crudis, alios humanis carnibus, alios libe-*

liberos suos inter se mutuo in Epulis dare. Tales intelligunt Poetae, quando milites Ulyssis beneficio Circes in Feras mutatos canunt. Ejusmodi enim homines præter hominis nomen nihil ferè habent, sed degenerant libidine in Urso, ferocitate in Sues, ferocia in Leones, crudelitate in trigrides. Quare reperitur quoque hoc vitium in iis, qui rei venerè ita sunt dediti, ut cum bestia etiam congrèdi non vereantur. Deindè in his qui omnem Religionem, Pietatem ac Honestatem ludibrio habent atque pedibus quasi conculcant, adeoque in DEUM maledicta edicere non dubitant. Tandem qui Patriam prodere non verentur, aliorum miseriis & calamitatibus lætantur & oblectantur, crudis hominum carnibus exproæresi vesci non verentur; & denique, qui cruore inimicorum pascunt oculos, suppliciorumque, quæ de aliis sumuntur, intuitu satiuntur, ut passim Historiæ testantur, & ex adductis adducendisque constat.

16. Hinc describitur *Feritas*, quod sit vitium, quo contra rectæ rationis Judicium & omnem humanitatem, Ferarum more perpetratur ea, à quibus Homo naturaliter abhorret. Aliis dicitur malicia summa atque Extrema, quæ omni Honestatis sensu carens immanissima scelera perpetrat, Hominemque infra bestias ferè abjicit. Vid. *Heider. part. 2. Phil. Moral. p. 416.* Sic excusso quasi omni rationis usu crudeliter trucidari jussit Infantes innocentes *Herodes*. Nota quoque est Historia de *Phalaride*, qui *Perillum*, ut boantis vocem audiret, in æneò & ardenti taurò flammis consumpsit. Talis quoque erat *Nero* omnium ferè Imperatorum Romanorum flagitiosissimus & crudelissimus, qui non ex morbo, non ex Consuetudine Genris Romanæ, sed ex perverso rationis usu sciens & volens Matrem suam trucidavit, dissestoque utero, locum, ubi positus infans fuerit, inspexit, ita & affines suos Virosque illustres quam plurimos immanissimè interfecit, meritissimumque Præceptorem suum *Senecam* vitæ privavit. Vid. *Sueton. in Vita Eiusdem. Tiberii* crudelitatem ex ipsius literis ad Senatam Roman. *Tacitus lib. 6. Anal.* demonstrat. Ille

enim ita scripserat: *Quid scribam vobis P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dume, Deaq; perdant, quam me periri sentio, si scio. Addit Tacitus: Facinora sua ipsi quoq; in supplicium verterant. Neq; frustra praestantissimus sapientiã affirmare solitus est: Si recludantur Tyrannorum mētes, posse aspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sevitiã, libidine, malis consultis animus dilaceratur. Quippe Tiberium non fortuna, non salutines protegebant, quia tarmentra pectoris suasq; pœnas Ipse fateretur. Hactenus Tacitus. Simile crudelitatis documentum edidit Cyrus, qui Croesum, Lydia Regem, victum atque vinctum in struem lignorum imposuit, ut combureretur. Crudelitate Patrem superavit Filius ejus Cambyses, qui fratrem Smerdem ob somnium vanamq; suspicionem affectati regni occidit; Sororẽ ex iisdem Parentibus natam Uxorem duxit, & postea interfecit. A Prexaspe Consiliario admonitus, ut in potu esset abstinentior, exandescens, mox Filii ipsius cor sagitta sauciavit, Patriq; ostendit, sibi gratulans, quod in temulentia etiam ictu non frustraretur. Babylonii à Dario obsidione cincti, ita saeviebant, ut Uxores proprias atque liberos interficerent, quo tolerare obsidionem diuturnam possent. Sic Uxor Tarquini Superbi maritum instruxit, ut Socerum Tullium occideret, quã deinceps Carpentum per corpus occisi Patris egit. De Ptolomao Lathyro Judaicã antiquitatis Scriptor Josephus lib. 13. c. 21. commemorat: Quod cum magno Exercitu in Judæam venisset, trecenta millia hominum miserẽ trucidaverit, minores natu in frustra secuerit, illisque impositos ad ignem coxerit. Cleopatra postquam maritum Demetrium unã cum Filio Seleuco occiderat, alteri filio quoque Grypho veneni poculo mortem inferre moliebatur. Quod cum animadvertisset Gryphus tanquam honoris causa, Matrem, ut præbiberet, petiit, & cum diu id recusaverat, dixit ad Eam: Nulla ratio alia est, quã suspicionis crimen diluas, nisi ut prior bibas. Ita Ergo victa, venenum, quod paraverat Filio, Ipsa hausit & mortua est. Vid. Justin. lib. 39. Ad hanc classẽ referimus non immeritò C.*

Casa

Cesarem Caligulam Parentis optimi Germanici pessimum Fili-
um ac plane monstrum ex *Sveton. c. 29.* Itemque *Catilinam*,
Syllam, *Domitianum*, Scortorumque monstra infantes prop-
rios occidentia, & illos quoque, qui quod dictu foedum, audi-
tuque horrendum, commixtionem sanguinis instituunt, a
quâ & Ipsi Saniores Ethnici abhorrebant, quorum historias
hic recensere chartarum angustia non permittunt. Quæ cum
vel magnitudine vel modo ab humanis vitiis differant, & ad
belluarum Feritatem quàm proximè accedant, non injuriâ
Feritatis nomine insigniuntur.

17. Alterum Extremum dicitur *Summa Ignavia*, quæ
Virtuti Heroicæ in defectu opponitur, & norat stuporem quæ-
dam ad omnem honesti sensum. Hinc definiunt per *vitium*,
quo ad omnem Virtutis & Honestatis sensum inepti reddimur. Tali
vitiô infecti sunt omnes ii, qui instar porcorum, caprorum &
Asinorum in omni voluptatum luto, ne semel quidem cælum
suspicientes & generis sui memores, volutantur, quales *Sol-
on*, & numero septem Sapientum, infamiâ norandos statuebat.
Ut *Sardanapalus* ultimus Assyriorum Rex jure hoc nomine
notabatur, etenim ex summâ ignaviâ & plus quam sceleratâ
vitâ decessit. Erat Homo mollis, effeminatus & impudic-
us, stolâ muliebri indutus, faciemque more meretricis fuc-
pingens inter pellices in Gynecœo semper latens, omni gu-
bernationis curâ longè sepositâ, Vid. *Cicero lib. 5. Tuscul. quest.*
Cujus Epitaphium his versibus legitur:

*Cum te mortalem nôris, præsentibus exple,
Deliciis animum; post mortem hæc nullius
usus.*

*Ipsæ Nini quondam magnæ Rex, nunc cinis
hic sunt*

*Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata li-
bido*

Hausit:

*Hauſit: at illa jacent multa ac præclara re-
liæta*

*Mortales ſapiens præceptum hoc diſcite
vite.*

18. Hæc ergò ſunt, quæ de *Virtute Heroica* dicenda e-
rant; quæ ſi non omnia accuratè attigerim, vel ingenii tenu-
itas, cujus Vires hiſce primitias, quantum valeant, explora-
re conatus ſum; Vel etiam Ipla temporis penuria, cum feſti-
nanti calamo hæc conſcripſerim, veniam merebuntur. Ne-
que omnis ingenii conatus temerè ſtatim habendus, juxta
vulgarum illud: Qui nunquam male, nunquam benè.
Quare nihil ſuperèſſe videtur, quam ut dicam

SOLI DEO GRATIAS.



05 A 199

ULB Halle

3


004 206 886



WVA







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

82

DISPUTATIO
De
IRTVTE
HEROICA,

Quam
DEO feliciter annuente
PRÆSIDE
VIRO

Clarissimo atqve Præeximio
M. JOHANNE MICHAELE
ausen / Colleg. Philosoph. Adjuncto meri-
ssimo, Præceptore, Fautore & Amico suo sum-
mopere colendo.

Publice, placidæ, disquisitionis
submitte
HANNES Scheffer / Dresdâ-Misn.
Autor & Respondens.

Ad diem XXI. Maji in Auditorio Minori,
horis matutinis.

VVITTEBERGÆ,
à Chalcographéo JOHANNIS HAKEN,
M DC LIX.

82

Mous. Scheffer